


deliquio Luna rubore multo perfusa, toto tempore mora è tenebris enitebit: in posteriori vicissim, altissimas umbra partes pervolitans, ad quas refractione radiorum Solarium nulla pertingit, aut penitus evanesceat, aut vix conspici cineriq colore poterit, præsertim circa medium.

Typi harum Eclipsium.



3 Maij



8 Novem.

De alijs Solis interseptionibus, quæ hoc anno 1631. contingent.

Scripseram Admonitionem ad curiosos rerum cælestium satis prolixam, de incursu Veneris & Mercurii in Discum Solis, mensibus Novembri & Decembri: eratq; animus eam admonitionem huic Ephemeridi in vestibulo præmittere. Cum verò Bartschius, Collega meus in computandis Ephemeridibus, & nunc, quod solix faustumq; sit, etiam gener, cui Ephemerida dederam Francofurtum deportandam; cum is, inquam, moras sibi videret obiectas in perficiendo itinere; doleatq; Ephemerida, quo ego tempore promiseram, non exhiberi posse publicè & consilium cepit non ingratum, Admonitionem illam, seorsim typis exscriptam, nundinis Autumnalibus Lipsensibus vulgò communicandi, eaq; opera temporis damnum pensandi.

Ego itaq; receptis jam, quas illi ferendas dederam, Ephemeridibus, actum agere dedignatus sum, & contentus admonitione hac Emptoris, ut paginam dictam apud Bibliopolas requirat, operiq; Ephemeridum (quod quidem per ejus pagina absentiam, nihil de sua perdit integritate) si videbitur, conjungat.

Ianu-

Herzog August Bibliothek Wolfenbüttel

Gray Scale

